

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Joh. Andr. Qvenstedii, SS. Theol. D. & Prof. Publ. Ordin. in
Acad. Witteberg, Ethica Pastorum, & Instructio Cathedralis,
sive Monita, Omnibus ac ...**

Quenstedt, Johann Andreas

Wittebergæ, 1708

VD18 13565508

LVII. Suis auditoribus, loco item & tempori sese accommodet.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-213082

Dei gloriam, sanctificationem nominis eius, sanctificationem Ecclesie, & salutem eternam auditorum. Qui hoc unice intendunt, ut Christum magnificent, & cordibus hominum imprimant, atque ut animas Deo lucrentur, illisque cœlum impleant, eorum merces copiosa erit in cœlis, Matth. V. 12. Qui verò ita suas conciones instituunt, ut non ad honorem Dei & salutem animarum eas dirigere videantur, sed vel ad laudem & gloriam sibi comparandam, vel ad lucrum temporale captandum, illi aliquando audient; receperunt mercedem suam. Matth. VI. 2. Est Evangelium doctrina genus, inquit D. Carpzov. locum citat. §. 3. in quo nihil minus querere debemus, quam gloriam nostram, & presentissimum periculum hæresis est, fons peccati ac ruina.

LVII.

Suis auditoribus, loco item & tempori sese accommodet.

Εἰς ἑκάστην.

Verò & verissimum dictum est, Methodum & mensuram docendi esse auditores. Alii enim sunt in fide dociles, alii indociles; alii rudes & ignari, alii eruditi & principiorum fidei gnari: alii creduli, alii increduli: alii firmi, alii infirmi.

infirmi. *In vita* sunt poenitentes vel impoenitentes, timidi aut securi, seqvaces aut contumaces, &c. In primitivâ Ecclesiâ distinguebantur in κατηχημένοι & ἐπόπαι, κατηχημένοι vocabantur, qvi relicto paganismo, primis religionis Christianæ elementis imbuebantur, hisq; licuit interesse sacris usq; ad sacramenti Eucharistiæ celebrationem, sed qvando cōsecratio fieri incipiebat, exesse juebantur his verbis; ὅσοι κατηχημένοι προέλθτε, Latini ita! efferebant; *Ite missa*, i. e. dimissio est. ἐπόπαι dicebantur, qvibus omnium sacrorum inspectio & participatio concedebatur, ita ut non excluderentur ab Eucharisticâ communionē, hinc ἐποπείαν vocabant τελείωσιν, qvæ erat omnium Sacrorum plena participatio. Illi, scil. rudiores lacte i. e. doctrinâ elementariâ, sive initiali opus habent I. Cor. III. 2. Hebr. V. 12. *provehiores* vero seu doctiores, utpote qvi per habitum sensus exercitatos habent, ad discretionem boni & mali, Hebr. V. 14. *solidi cibi*, i. e. plenioris informationis capaces sunt. Non qvidem alia dogmata his, alia illis ad salutem necessaria sunt. Eadem enim fides est, per quam docti & indocti, sapientissimi, abjectissimi de facie vulgi, summi, infimi salvantur. Christus idem lac est pueris & adultis solidus cibus. Eadem Evangelii veritas

utrisque. Et si aliqui horum accuratiorem cognitionem ejusdem habeant. Prudentis ergo Doctoris est, eorum, quos docentes suscepit, captui sese attemperare, ut apud rudes & indoctos à rudimentis seu elementis doctrinæ Christianæ incipiat, nec altius conscendat, quàm tarditate ingenii sui sequi possint. neq; omnia omni tempore, aut loco apta sunt. *Discernatur Orationibus nostris temporum diversitas*, inquit *Plinius in Panegyri.*

--- data tempore profuit,

Et data non apto tempore vana nocent.
 Qui in aulis omnium rerum abundantia & luxu circumfluentibus concionatorem agit, frustra de paupertatis tolerantia verba facit & Frustrà superbiam vestitus accusat, aut Sponsarum & puerperarum officia explicat, qui pauperculis & decrepitis, fereqve agonizantibus in Nosocomio concionatur. Frustrà quoque in refutandis hæreticis occupatur, qui rude habet & è rusticanâ plebeculâ auditorium. Impertinenter facit, qui instituit mores, Imperatorem, Reges, Electores, Principes, Nobiles condecens, multumque de illis differit in cœtu hominum ordinis ac sortis inferioris. *Ineptè facit*, ut benè monet Summè Reverend. Dn. D. Geierus Com. in Daniel. pag. 655. *qui solatia instillat securis,*
 qui

qui comminationibus ulterius adhuc percellit timidos; qui Myſteria committit imperitis, æquè ut ſulta eſſet nutrix, carnem, panemve præbens infanti lactando. Videatur etiam *B. Lutherus* in Colloquiis Menſalibus fol. 195. b. Sic ineptus quidam Eccleſiaſticus Orator officia eorum, qui peſte corripiuntur, inculcabat in urb, ubi malum illud planè ignotum erat. Alius verbis aliunde traſumptis, Mercatorum & Nautarum vitia taxabat coram Auditoribus ſummâ egeſtate & aquæ penuriâ laborantibus. *O, apta verba, planitusque congrua, Locoque, Cætuique tali!* Accuratè itaque attendat Eccleſiæ Miniſter, quid unicuique Auditorio conveniat, quid hoc loco hoc tempore, in hâc materiâ, apud hos auditores conducatur. Alia neceſſaria magis ſunt ruriſolis, alia oppidorum, alia urbium maritimarum, alia mediterranearum incolis. Rectè *B. Balduinus* in brevi Inſtit. pag. 151. ſcribit; *Non omnibus omnia conveniunt, & multa dicuntur aptè in urbe, quæ ineptè dicuntur, in rure et vice verſa.* Hic artis non eſt, multa & doctè differere, artis eſt, ad ſenſum, captumque præſentium ſeſe accommodare, ut ex Concione habitâ docti, indocti, nobiles, ignobiles, viri, fœminæ, pueri & ſenes, adeoque Cerdones, Sartores, nautæ & aurigæ plurimùm ad fidem & pietatem

tem proficiant. Rectè Gregorius Lib. XX. Moral. c. 2. Debet Concionator ad infirmitatem audientium semetipsum contrahendo descendere, ne dum parvis sublimia & idcirco non profutura loquitur, se magis curet ostendere, quàm auditoribus prodesse. Idem ait Homil. XI. in Ezech. Pensare Orator debet, quid loquatur, cui loquatur, qualiter & quantum loquatur. Eadem monet Erasmus Libel. de Lingvâ p. 399. Consultum fuerit, priusquam lingvâ solvas repagula, circumstantias omnes expendere, qui sis, qui dicere paras, quale sit, de quo loqui cogitas, quales, apud quos dicturus es, quid tempus, aut locus postulet. Denique quid boni, malive ex oratione tuâ queat proficisci vel tibi vel aliis &c. Christus exprobat, itemq; Apostolus Paulus ad captum auditorum per quandam συγκατάθεσιν sese accommodabant. De Salvatore res notior est, quàm ut indicari debeat. S. Paulus I. Cor. III. I. Corinthios sic alloquitur: Non potui loqui vobis, ut spiritualibus, sed loquutus sum ut carnalibus, tanquam infantibus in Christo. q. d. Vitiis mihi datis, quod humilis fuerim apud vos doctor. At si quæ in hoc culpa, vestre ruditati cam ascribite, quæ me cum pueris pueriliter balbutire coëgit, quia ut maximè voluerim, non potui vobis loqui ut spiritualibus, sed ut carnalibus, &c.

videtur. *Carneles* vocat nondum satis intelligentes doctrinæ fidei fundamenta, & carnis affectibus citra iudicium indulgentes, *Infantes* in Christo, initiatos fide Christi; *Spirituales* verò eos, qui illuminatione Spiritus in cognitione doctrinæ Evangelii profecerunt, & in quibus spiritus praevalet carni, ut doctrinæ obtemperent, neque ex hominum auctoritate pendeant, ut extum hunc *παρρησιας* Dav. Pareus in Comment. h. l. pag. 17. part. IV. Oper. Exeget. v. 2. *Lactis* potus vos, ut pote infantes in Christo, alui & non esca. Lactis potus infantibus convenit, quia dulcedine suâ sapit, liquidâ pingvedine nutrit, & digeritur facile, esca seu solidus cibus adultorum est, qui concoctionis organa habent confirmatiora. Lac vocat principia & rudimenta doctrinæ cœlestis simplicissime tradita, perfectiorem doctrinam appellat escam solidam, aptam illis, qui plus profecerunt, & sensus magis exercitados habent. Hebr. V. 12. 13. 14. Exemplo proinde Christi & Apostoli Pauli Concionator formam docendi auditorum suorum conditioni prudenter attemperet, & instar sapientis promi ad necessitatem & utilitatem discipulorum doctrinæ thesaurum dispense, non secundum ea, quæ ipse novit, sed secundum illa, quæ videt ædificationem singulorum postulare.